
AGONISMATA PHYSICO-MEDICA
QVINTA VICE
IN ANTIQVISSIMA GERMANIAE
ACADEMIA
HEIDELBERGENSI
Ξ Θ
PRIVATO-PVBLICE
PRAESIDE

GEORGIO FRANCO
MED. AC PHIL. D. PP. VNIVERS. PRO-CANCELLARIO. FAC. MED. DECAN. SERENISS. MARCHION. BADENS. ARCHIATR. ACAD. S.R.I. NAT. CVRIOS. ET ITALIC. RECVPERAT. COLLEGA.

INSTITVTA
IN
AVDITORIO MEDICO
VII. Octobr. h. 1682. hor. 8. matut.

a Respondente

JOHANNE PHILIPPO MAVLLIO,
S. Goara-Hasso.



HEIDELBERGÆ,
Literis SAMVELIS AMMONII, VNIVERS. Typogr.



B. C. D.

§. I.

INfantibus bimis, trimis; immo pueris puellisque plurium annorum sæpe oboritur scabies humida in capite, unde proventus pediculorum sat dives; fœtor; pili inviscantur, adest pruritus, Germ. heic vocant flüssige vel potius flüssende Köpfe/ it. ausgefarne/ alibi Grind-Köpfe. Plerumque antea circa collum, pone aures & per cervicem glandulæ valde intumescunt, adeo ut non rite caput interdum movere possint; manifesto indicio e lympha copiosa & depravata; (non exclusis aliis humoribus acribus) plerumque salsa, acri, erodente primo excitari pruritum, quem dum pueri unguibus scalpuriendo solari satagunt; non solum exulcerant; portamque humori turgenti aperiunt; inde illa fæda scabies & pulities capitis pecorum. Hanc dum prohibere; imo sæpe plane tollere conantur mulierculæ delicatulæ; dedecus prætendentes, es stehe gar garstig / oder sei wüst/ variis unguentis; linimentis aliisque medicaminibus istos catarrhos reprimunt, scabiem siccant; ulcuscula que occludunt obdito quasi pessulo. Sed ecce quanta inde malorum ilias immo lerna! Testor experientiam; illaque mihi centies pluriesque contestatur per regurgitationem humorum horum depravatorum ope circulationis, atque aliter, interdum non solùm oriri intumescentiam faciei & cachexiam; capitis tumores, tusses, anorexias; cordis palmos; febres, uvulæ prolabsus: aurium tinnitus, vertigines, atrophias, oculorum vitia, aphthas; sed sæpe catarrhos suffocantes, convulsiones, epilepsiam: immo mortem. Exempla pauca saltim videbimus, quæ ex *ZACVT. Prax. adm. l. 3 obs. 5*. *BORELL. Cent 2 obs. 92*. *VELSCHIO*, qui plura alia *TRINCAVELLIOq;* allegat Excell. D. D. *Theoph. BONETVS* Fautor & Amicus exoptatissimus *in Indice Medico - Pract. l. XVI. tit. Scabies. § 11. f. m. 609.* adde *GABELCHOV.* & *AMAT. Lusit. in*

Clariss.

Clariss. Seb. SCHEFFERI *Morono f. m.* 401. *a.* Severe sanctèque ergo admonitas velim omnes mulieres, quæ liberorum saluti potius, quam elegantiæ studere volunt; ut tanquam ab angue sibi caveant ab hoc errore epidemio.

§. 2. Cum tria medicinæ sint Organa (fontes alii nuncupant) Chriurgia videl. Pharmacia atque Diæta: eque tribus his, Diæta sit amænissima aut saltim toleratu videatur facilior: tamen ab effectu nobiliore si judicemus, judicemus oportet CHIRVRGIAM, ut reliquis vetustissimam teste CELSO *l.* 7. *in præfat. p. m.* 430. ita & nobilissimam esse; scil. ut CELSVS *ib.* paullo ante in principio loquebatur: *Est ejus effectus inter omnes Medicinæ partes evidentissimus.* Siquidem quod neque Diæta, neque Pharmacia potest efficere aut obtinere; hoc demum Chirurgia efficit, ceu patet ex *Aphor. Hipp.* παρεμβεβλημένοις sive *sect. VIII.* §. 6. ὁκόσα φάρμακα ὀυκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος ὀυκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται. ὅσα δὲ πῦρ ὀυκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. h. e. *Quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat. Quæ vero ignis non sanat, ea insanabilia existimare oportet.*

§. 3. De SEPTO CORDIS medio tanquam pariete intergerino inter utrumque ventriculum mira lis est inter Anatomicos; dum illud perforatum esse scribunt RIOLANVS, BARTHOLINVS, PLEMPIVS, WALÆVS & HELMONT. ap. ROLFINC. *tr. d. corde cap. VII.* p. 44. *seq.* BARTHOLIN. *Cent.* 2. *hist* 67. BRODBEQV. ap. Eund. *Cent. IV. h.* 20. ut & HELMONT. *tr. Blas. Human.* §. 21. scil. ut per ista foraminula aliquid sanguinis transiret, SACHSIVS *in Ocean. macromicro Cosm.* §. 60. GASSENDVS, PAYANVS, RIOLAN. & WALÆVS ap. BARTHOLIN. *A. R. l.* 2. *c.* 7. & quidem crassior per pulmones, tenuior v. per septum ROLF. *tr. d. corde c.* 26 *p. m.* 97. & *meth. med. consult. l.* 1. *s.* 2. *c.* 6. Verum non solum hoc negant alii Viri doctissimi, ut, COLVMB. BOTALL. VLMVS, VAROLIVS, LAVREMBERG. FOLIVS ap. *l. D. HORST. in manud. ad med. p. m.* 64. *quip.* 66. *seq.* adstipulatur. It. VESAL. *l.* 6. *de H. C. F.* C. HOFMAN. SPIGEL. HARVEIVS, HIGHMOR. ap. ROLFINC. *l. a. c.* 7. *p. m.* 45. it. MOEBIVS *Fund Physiol. c. XII. p.* 236. MAVROCORD. *de Pneumat. circul sangu. instrum. c.* 1 *p.* 23. WALÆVS *Inst. Med. l.* 1. *c.* 12 *p.* 19. SLEGEL. *de circul. sangu. c.* 7. *p.* 34. *J. v. HORNE microc.* §. 37. LOWER *de corde c.* 2. *p. m.* 87 *seq.* Imo ipsa experientia & nuda veritas, ceu multoties publice in Anatom. ipsi demonstravimus.

 §. 4. Circa

§. 4. Circa ἀντιπυρετικὰ (vulgo febrifuga, antifebrilia) hodie maxima est contentio, maxima solicitudo tam a parte medicorum, quam ab ægrorum parte; ambo enim saltim paroxysmi impedimentum optant, securi deinceps quid circa morbi caussam aut fundamentum geratur. Sed quam bene cedant; imo sæpe quanta mala; atque haut raro prioribus adhuc graviora; e. g. hydrops, cachexia; atrophia &c. inde eveniant, hoc multoties tristissima docuit experientia. Nolo heic tangere superstitiosa ista amuleta, uti sunt *Q. SERENI Sammonici* Abracadabra, atque aliæ nugæ; nolo transplantationes in cancros *RHUMELII* aut aliorum hac vice examinare; nolo illum vulgi errorem, quem Francofurti sat validum nuper inveni, de pane isto in circum flexo & cocto, spiras vulgo vocant Germ; Bretzeln / it. Fasten-Bretzeln / alibi Bret-stell: heic adtingere, ubi immunis prædicatur toto anno a febre, qui talem panem comederit ipso die viridium auffm grünen Donnerstag aut opsonium e variis herbis viridibus (superstitio vult 7. vel 9. species) coctum e. g. spinachia, atriplice, chærefolio &c. Ein grün Kraut auffm grünen Donnerstag: quæ omnia perdita superstitio videtur invenisse ut sacra ista Salvatoris nostri merita spurcissime contaminaret. Sed hoc dico famosam ipsam istam Chinam Chinam seu Corticem Peruvianum raro esse fidei tutæ. Testem non solum Clariss. *WILLISIUM* voco; qui *de Febb. c. IV. p. m.* 153. Conceptis his verbis ita: *Interim ingenue fatebor, me nondum vidisse febrem intermittentem hac cortice semel exhibita, penitus curatum: quin immo, non tantum quartanæ, verum etiam tertianæ, & quotidianæ febris paroxysmi aliis remediis facile in totum superabiles, hoc pulvere profligari visi, post breve tempus constanter redibant. Ob hanc rationem, qui febres intermittentes alias facile curabiles, non urgente necessitate, hoc pharmaco tantum brevi subprimunt, medicinam dolosam instituere videntur, nec in rem suam magis, quam qui ulceri cavo & mox denuo erupturo cicatricem inducunt.* Immo ipsam experientiam quotidianam; ut taceam mille fraudes circa quinquinam istam (uti vulgo audit) atque mangonia mala ap. myropolas patrari.

FINIS.